DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS
EPISTAXIM.

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTIUENDA

IN GELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONE SUBMITTIT

Josephus Kraus

Bohemus Abtsdorfensis

Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die 30. Mensis Maji anni MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.

TYPIS LEOPOLDI GRUND.

(Währingergasse Nr. 275.)

PERILLUSTRI SPECTABILI

A

DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

FRANCISCO LUKSCHE,

UTRIUSQUE JURIS DOCTORI.

V I R O
SCIENTIA, HUMANITATE CANDORE
BENEVOLENTIA INSIGNI
SUMMO BONARUM LITTERARUM
A E S T I M A T O R I
FAUTORI OPTIMO
AVUNCULO SUO COLENDISSIMO,
HOCCE SPECIMEN INAUGURALE
IN
TESTIMONIUM OBSERVANTIAE
ET
G R A T I T U D I N I S
NULLO UNQUAM TEMPORE EXHALATURAE
SACRUM ESSE VULT

gratissimus
Nepos.

Definitio.

Ille status pathologicus corporis humani, sub quo sanguinis efusio e naribus provocatur, Epistaxis: Rhinorrhagia; Gallis: Haemorrhagie ou saigment du nez; Germanis; Nasenbluten; Anglis: Bleding; Bohemis: Krwaceni nosu; Polonum; Krwotokz nosa, audit.

Symptomatologia.

Symptomata hujus profluvii sanguinis quoad characterem inter se paululum modificatae inveniuntur, prouti aut:

1mo. Epistaxis sit indolis activae et quidem,

a) activae cum plethora vera (inflammatoria)

b) activae cum erethismo, atque

2do. Epistaxis sit indolis passivae,

vel etiam prouti vasa capilaria partis narium anterioris vel posterioris sanguinem promittunt.

Prodromi. Prodromi tantum haemorrhagiae narium cum charactere activo veniunt, et semper symptomata congestionis versus encephalon ostendunt: ut cephalaea, rubor faciei intensus, dolor

premens ad tempora, ad nucham, vertigo, somnolentia, pavor sub somno quasi ex spectris rubris visis, calor rubor genae vel auris unius, splendor, calligo, illacrimatio oculorum, aurium tinitas, susurus, surditas, arteriarum ad tempora et collum intensior pulsatio; plenitudo, siccitas, tensio, calor, pruritus, titilationis sensatio ad nares; pulsus plenus, tensus, frequens, undosus, dicrotus caprizans, in uno tantum brachio tanquam signum fluxus sanguinis e narice ejusdem lateris; alvus parca et dura, urinae fluxus iminutus, colorem profundius tinctam acquirit.

Symptomata morbi. Praegresis brevius aut longius hisce supra enominatis symptomatibus, nunc sanguinis fluxus per unum vel utrumque nasi ostium modo guttatim, modo placido rivulo sequitur. Sanguis laete rubens mox coagulans, cum crusta inflammatoria crassa ex ostiis profluens ejus indolem arteriosam indicat. Epistaxis quidem saepe absque auxilio medici et cito silet, sed saepius adhuc faventibus causis excitantibus iterum reddit; hinc inde et typica ejus adparitio observata fuit, tuncque aut cum quolibet febris intermittentis paroxysmo intravit, aut menstruationem suppressam supplevit. Nonnunquam sanguis in polipum densatur, quo epulso uberior mox sequitur unda. Postquam hic fluxus per incertum tempus brevius aut longius duravit, magnum status morbosi levamen, et gravaminum proegressorum silentium sequitur, pulsus fit tardior mollior, cutis madida,

urina hypostatica. Quantitas sanguinis efluentis modica, vix ultra paucas uncias evacuatur, imo et tam exigua, ut promovere necesse sit.

Si autem epistaxis activa cum charactere erethistico intrat, prodromi iidem quidem habet, paululum tantum modificati et minus constantes, quae omnia systematis nervosi in systema vasorum activitatem, cum imminuta systematis arteriosi energia testantur; et sequentibus se nobis signis characteristicis offerunt, ut, inquietudine pervigilio, rubore faciei, aestu, angustiis pectoris, et febris symptomatibus plerumque nervosis: horrore cum aestu alterante, cuti saepe frigida, sicca, saepe calida, urina pallida aquosa; facies mox rubet, mox pallet et friget, pulsus variabilis frequens, celer, parvus debilis spasticus, signa praevalentis affectionis spasticae; aeger friget, cutis extremitatum anserina conspicitur, sensatio aestus interni, asthma, oppressio pectoris, suspirium, dolor pressivus tensivus in hyponchondriis, nimia sensilitas sensuum internorum et externorum atque sub febris majori vehementia deliria ipsa se associant.

Demum sequitur epistaxis sub forma stilicidii vel haemorrhagiae sed semper cum notabiliori sanguinis jactura, ac in casu praecedente, cum vel absque emolumento aegri, cito enim characterem adinamicum assumit. Sanguis minus consistens laete ruber cum crusta tenui lardacea providetur, quantitas sanguinis ad libras usque depletur. Concomitatur profluvium continuo prodromorum et

statu spastico universali, frigore, pallore faciei et cutis horripilationibus motibus convulsivis levioris gradus, tremore artuum, inquietudine, anxietate, cephalaea praevalente iritabilitate et sensilitate sensuum externorum: visu scintillarum, scotomatum, photopsia; susuru aurium et tinitu; sub longiori duratione cum continuo incremento symptomatum praesentium, simulque accedentibus signis majoris debilitatis universalis corpus tum friget, sudor frigidus viscidus est, pulsus debilis parvus tangitur, debilitas muscularis summa.

Epistaxis asthenica seu passiva creberrime comes febris putridae, scorbuti exanthematum malignarum, e signis nimiae exhaustionis virium vitalium, summae debilitatis et resolutionis universalis facile cognoscenda, pulsus parvus, mollis tremulus, inaequalis, intermittens; adest sopor tremor subsultus tendinum, paralisis organorum motui inservientium; anaesthesiae, sudores frigidi petechiae vibices et sugillationes denique haemorrhagiae ex aliis partibus corporis superveniunt; sanguinis qualitatem respicientes invenimus eam dissolutam, scrosam non coagulabilem flavo fuscam aut atram, foetentem cito in putredinem ruentem. Accidit semper sub forma haemorrhagiae difficillime vel plane non sistendae etiam fortissimis remediis contra adhibitis. Et tanta laxitas in ostiis vasorum remanet, ut in exanimatis continuo sanguinem fundant.

Ad diagnosim firmam sistendam sequentia ad-

huc sunt respicienda, uti in epistaxi activa inflammatoria; aetas infantilis, juvenilis, media, constitutio corporis firma, plethorica, epidemica constitutio, imprimis fine hiemis et initio veris, praevalens diathesis phlogistica, causae excitantes morbi praegressi praesentesque.

Indolem erethisticam confirmat constitutio corporis tenera sensilis, habitus phtisicus, scrophulosus plerumque obvenit in feminis hystericis, in individuis typho, morbillis, variolis, scarlatina, indolis magis nervosae laborantibus.

Aetiologia.

Causae epistaxeos dividuntur *A.* in praedisponentes et *B.* in ocasionales.

A. Causae praedisponentes.

Dispositio ad epistaxim est vel haereditaria vel adquisita; et fluit quidem ex adaucta irritabilitate systematis vasorum, constitutione corporis abnormi, e deformitate thoracis, vitiis organicis, obstructionibus, infarctibus viscerum, quibus non immerito aetas, sexus, temperamentum evolutio corporis pro - et regrediens adnumerantur. Sic quoque singularis cavi narium structura atque conformatio uti textura spongiosa, laxa, copiosis vasculis sanguiferis instructa, functio illius et comercium cum potentiis externis.

Specialis autem dispositio in epistaxim cum charactere activo praeprimis quaerenda erit: in aetate juvenili et puerili, constitutione forti, temperamento sanguineo, habitu corporis robusto, succulento, plethorico, vita lauta; tempus vernale, imprimis si temperatura multo callidior hiemem frigidam sequatur, et propia constitutio annua.

Ad epistaxim activam cum charactere erethistico, praevalens systematis nervosi activitas, aetas infantilis, constitutio corporis minus firma, tenera, sensilis, gracilis, florida, habitus scrophu-

losus, phtysicus temperamentum irritabile etc. disponunt.

Ad epistaxim autem cum charactere adynamico disponunt corporis constitutio laxa, torpida, praesertim debilitas systematis vasorum, aetas senilis, praegressa incitatio systematis irritabilis et morbi praesentes asthenici.

B. Causae excitantes.

Prouti in omni morbo, sic et in epistaxi causae excitantes maximi sunt momenti, nam ex his maxima ex parte indoles profluvii patefit, iisque tantum notis therapia etiam congrua instituere licet.

Dividuntur autem causae excitantes

1$^{mo.}$ in causas excitantes locales;

2$^{do.}$ in causas excitantes universales.

Causae excitantes locales iterum dispescuntur

a) in causas idiopathicas;

b) in causas sympathicas et

c) in causas symptomaticas.

a) Ad causas idiopathicas pertinent: vulnera cavo narium adflicta, contusiones per lapsum aut concusionem, lusio cum digitis in cavo narium, ulcera et polipi in eo, hirudo naribus advecta, vermes in cavis nasalibus et frontalibus praesentes, remedia sterrutatoria uti Nicotiana Tabacum, Holeborus etc., odores penetrantes Amonii, fumi et vapores stimulantes naribus adtracti, idyosincrasia erga diversa odoramenta e. g. pomorum, rosarum, pulsatio campanarum, cujusdam objecti

adspectus, et denique varicositas vasorum sanguiferorum in cavo narium.

b) Ad causas sympathicas pertinent: Refrigerium praecipue extremitatum circulationem et expansionem cohibens, ejusque impetum versus caput causans; huc etiam pertinent vestes arctiones, uti collare, thoraces; tumores colli, motus nimii, intentio major capitis et thoracis, suspiria longa diuturniora, vociferatio, oratio, clamor, fletus, risus, cantus, tubarum inflatio, cursus velox, tussis, sternutatio. Sic vitia organica et opletio major, infarctus viscerum tanquam impedimenta circuitus agunt; ut tubercula pulmonum, vitia cordis et aortae, venarum jugularium, subclaviarum; obstructio et inflammatio viscerum abdominalium, praesertim lienis et hepatis; ventriculus et intestina a cibis et flatibus repleta, ascites et uterus gravidus.

Epistaxim erethisticam majis provocantes, praeter multas jam supra enumeratas causas, sequentes adhuc pertinent; major caloris gradus in phtysicis, thorace male conformato, gibboso, idiosincrasiae diversae in morbis diversis systematis nervosi cum aut sine febri incedentibus, in exanthematibus diversis cum charactere nervoso incedentibus. Antagonistice provocatur epistaxis a supressione menstruorum haemorrhoidum aliorumque profluviorum.

3do. Ad causas excitantes universales numerandae veniunt: calor intensus, praecipue frigore

praecesso repente ingrediens, insolatio, aër purus frigidiusculus electricitate abundans, uti id in montibus altis observare nonnunquam licet; aër impurus, corruptus, oxigenio orbatus e. g. in regionibus paludosis, umbrosis, in nosocomiis et carceribus, quae praecipue epistaxi asthenicae favent. Denique nutrimenta et potulenta diversa, uti: vinum, spiritus vini, cerevisia, potus arabicus, porro remedia callefacientia, aromatica, aethereo-oleosa, Camphora, Moschus; usus nutrimentorum putridorum, abusus narcoticorum, Opii, Laurocerasi etc.; pathematatam excitantia quam deprimentia, uti, ira, laetitia, terror, verecundia, amor infelix praecipue in subjectis plethoricis et erethisticis, nimia animi intentio; motus corporis nimius et intensus.

c) Causae symptomaticae. Sub omnibus profluviis cruentibus, saepissime hae ex causis symptomaticis exortae occurrunt; et quidem aut ut symptoma criticum, aut ut symptoma morbi ipsius.

Prodromi epistaxeos criticae, qui semper sub stadio crisium incedere solent, sunt sequentes: oculi turgent, sunt rubri atque splendidi, pressio in regione temporum, facies turgida, genae rubrae; obnebulatio sensus visus, macularum cruentarum et scintillarum visio ante oculos, dolor pulsans in fronte, pruritus in cavo narium, pulsatio carotidum, et pulsus dicrotus.

Ut tale symptoma criticum in omnibus ferre febribus et inflammationibus occurrere potest, adeo-

que in synocha, in febribus inflammatoriis catarrhalibus, in febribus inflammatoriis rheumaticis; in diversis organorum inflammationibus, praesertim in encephalitide, otitide, pleuroperipneumonia, hepatitide, enteritide et metridide. In diversis exanthematibus, uti variolis, morbillis, scarlatina, erisipellade et sub typho contagioso in stadio iritativo; denique et semper cum magno levamine symptomatum morbosorum, etiam in morbis chronicis epistaxis ut symptoma criticum incedit, plerumque in plethoricis, haemorrhoidibus laborantibus, sub menstruatione suppressa, asthmate et hydrope acuta.

Quantitas sanguinis, quae sub epistaxi critico profluit, est diversa, consuetin tantum circa nonnullas uncias evacuatur, enumerantur autem apud plures auctores exempla, ubi tamen adhuc sub mira quantitate sanguinis critice evacuati sanitas restituta fuit.

Ut symptoma morbosum et mali ominis epistaxis non raro in febribus cum charactere putrido; uti, Typho putrido, variolis, morbillis etc. Inter morbos chronicos praecipue in illis cum colliquatione humorum incedentibus; in morbo maculoso *Werlhofii*, scorbuto, ictero, hydrope, febri hectica, in stagnationibus diversis uti lienis, hepatis etc. frequentissime et semper ut symptoma malignum occurrit, non raro etiam sistit prodromum mortis.

Causa proxima.

Ille status pathologicus systematis sanguiferi sub quo sanguinis profluvium provocatur, aut ex vitio dynamico aut mechanico prodit.

Uberimus fons, haemorrhagiae narium ex vitio dynamico exortae, est systema capillare; in illo iterum aut ex ejusdem finibus arteriosis aut verosis pullulat. Sanguinis ex vasculis arteriosis et venosis proscaturientis causa iterum duplex agnoscitur:

$1^{mo.}$ Per ansatomosim, ubi sanquis majori copia ad vascula capillaria debilitata adlicitus profluere cogitur, hoc duplici fit ratione:

a) Per secretionem, ubi fines vasculorum capillarium, in statu normali serosum gerentes et secernentes fluidum, nunc per adauctam vitalitatem loco fluidi serosi sanguinem ducunt et secernunt; qui status omni epistaxi indolis activae et criticae subest.

b) Per diapedesim (α δια per πεδαω salio) ubi sanguis majis venosus sero abundans; cruore autem deficiens ex ostibus vasorum debilium proscaturit; qui status pathologicus Epistaxi cum charactere adynamico convenit.

Dum originem Epistaxeos dynamicum consideravimus, neque causarum mechanicarum obliviscamur, quae vi sua quadam aut mechanica

aut chemica, cohaesionem organicam tollunt et haemorrhagiam provocant, id quod triplici iterum modo evadit, vel per nimiam vasculorum capillarium a sanguine contento distentionem et inde natam *rexim*; vel per acrimonias diversas, a quibus tunicae vasorum tam internae quam externae eroduntur (diabrosis) vel per continui laesionem vasorum (diaeresis).

Ferminationes.

1mo. In sanitatem, dumque turbata harmonia atque aequilibrium inter systema sanguiferum et reliquum organismum aut per vim medicatricem naturae, aut intercurrente auxilio medico restituitur.

2do. In morbos posthumos, praecipue in inflammationes organorum diversorum ab encephalo usque ad uterum, quod eo majis in subjectis plethoricis juvenilibus et in illis timendum est, quibus epistaxis habitualis subito suppressa est, in exhaustionem virium vitalium per nimiam sanguinis jacturam, in phtysim, febrim hecticam, hydropen in morbos systematis nervosi uti, stupiditas, oblivio, convulsiones, epilepsiam, hysteriam et paralises.

3tia. In mortem transit epistaxis et quidem directe et cito per nimiam sanguinis jacturam aut per convulsiones; indirecte et lente per omnes morbos posthumos.

Prognosis.

Si ad magnam causarum excitantium cohortem, si ad characterem et formam ad copiam et indolem sanguinis effluentis, si porro ad aetatem individui, ad sexum et constitutionem aegri attenti sumus; si denique symptomata supervenientia et morbum cujus symptoma epistaxis sistit perspicimus; cuilibet etiam discrimen prognoseos patebit.

Juxta aetatis diversitatem et prognosis diversa statuenda erit; sic in aetate infantili epistaxis modica haud ullum periculum profent, modum autem excedens eo citius vitam exhauriet, quo debilior tenerior et sensilior adhuc organisatio infantis. Majoris momenti est in aetate juvenili et virili praecipue in subjectis plethoricis et robustis, in quibus epistaxis non qua symptoma morbosum, sed frequenter qua symptoma criticum, et si modum non excedit qua symptoma revera salutare consideranda est, et cujus suppressio nunquam sine magno damno perfertur. — Attamen errat et valde errat, qui et in hac aetate omnem haemorrhagiam narium, praeceteris illam, quae frequentius et repetitis vicibus jam ex causis exiguis provocatur, sine omni noxa putat; facile enim cessante epistaxi morbi graves uti: epilepsia, haemoptoe, tabes, arthritis et haemorrhoides exoriuntur. In aetate autem senili aut prodromi sistit applexiae, aut est sequela

vitiorum organicorum uti cordis arteriarumque dilatationes, ossificationis arteriarum et valvularum cordis, infarctus viscerum abdominalium etc.; quae autem si non larga et vicibus repetitis intrat, levamen quidem pro tempore adfert, saepius autem cachexiam imo et mortem adferre potest.

Non tanti momenti est epistaxis in maribus ac in feminis, nam in his consuetim symptomatibus affectionis systematis nervosi concomitatur, et raro ultra tempus menstruorum primo apparentium protrahitur; in illis autem nonnunquam usque ad aetatem virilem transvehitur.

Hominibus robustis, plethoricis salutaris, debilibus vero et gracilibus, scrophulosis, phtysicis laxis, pastosis et torpidis periculosa.

Epistaxis activa saepius critica et salutaris est, et si modum non excedit, plerumque cum magno aegri levamine; si autem modum excedit, per nimiam sanguinis jacturam characterem adynamicum induere valet. Cum charactere autem erethistico procedens priore periculosior longior et diutius durat. Periculum autem summum conducit Haemorrhagia asthenica, quae semper signum disolutionis et summae debilitatis organisationis praebet.

Epistaxis in febribus et inflammationibus critica est, et saepe remedium princeps, cui non par invenitur, si sat larga et modum non excedit; modum autem excedens, periculosa evadit. Quantitatem autem quam individuum quoddam absque discrimine vitae pendere valit, incertum est, et

dependet ab aetate, sexu, constitutione aegri, indole profluvii, a tempore durationis breviore aut longiore, quo vel major vel minor copia effluit. Juvenes, feminae, constitutione robusta praediti, majorem sanguinis jacturam perferre queant, quam senes et homines constitutione debili, tenera laxa, in quibus non raro symptomata depletionis sanguinis accedunt uti: debilitas mentis memoriae, visus hebes vel coecitas, siccitas narium, abolitio olfactus, si nimis repente irruit, facies, genae, labia et gingivae pallent, nasus acuminatur, pulsus valde debilis, parvus, intermittens tangitur, manus et caput sudore frigido madidum, frigus totius corporis ac sitis vehemens exoriuntur; succedunt nausea, singultus convulsiones, sussurus, vertigo, lipothymia. Tristissimo hocce statu pedetentim evanito, stipatur aeger sub reconvalescentia horripillationibus, horrore, temulentia, cephalaea occulta, frigore in nucha; remanet saepe hysteria, hypochondria, epilepsia, digestio assimilatio labefacta, cachexiae imprimis tabes et hydrops.

Epistaxis in febri putrida, typho, scorbuto, morbo maculoso *Werlhofii*, febri hectica, ictero, hydrope, aliisve cachexiis summe periculosa est, praesertim si sanguis tenuis, fibra et cruore deficiens, disolutus et foetens evacuatur. Sub statu virium exhaustarum saepe tutissimum est signum mortis aproximantis. Epistaxis vicariam sistens actionem haemorrhoidum et menstruationis, in multis causis ad symptomata bona adnumeranda est.

D i v i s i o.

Dividitur epistaxis secundum causam excitantem in epistaxim idiopathicam, sympathicam, consensualem antagonisticam et symptomaticam.

Quoad characterem in epistaxim activam et quidem cum plethora vera vel cum erethismo incedens; et in epistaxim passivam. Relate ad numerum aegrorum in epistaxim sporadicam endemicam et epidemicam.

Secundum quantitatem sanguinis profluentis, in stilicidium, ubi tantum guttatim sanguis prodit; in profluvium ubi placide pullulat et in haemorrhagiam ubi pleno rivo prorumpit. Secundum typum in profluvium continuum remittens et intermittens.

Secundum effectum dividitur in epistaxim salutarem et non salutarem; denique in prophilacticam, criticam et vicariam.

Summi autem momenti est divisio practica secundum causas excitantes, adeoque denominationes: epistaxis traumatica, ulcerosa, polyposa, varicosa, spastica, asthmatica, plethorica haemorrhoidalis, ex suppressis menstruis, hydrothoracica, helminthica, pyretica, septicae.

Therapia.

Summum axioma practicum in omni epistaxi in eo consistit imprimis respiciendo et inquirendo, an epistaxis sibi et sola vi medicatrici sit relinquenda aut interveniente auxilio medico sit auferenda. Si epistaxis est indolis criticae, tum caveat medicus, ne hoc conamen naturae criticum, donec cum levamine symptomatum morbosorum procedit praematuro suo auxilio turbet; quod conamen partim ex aetate, constitutione et dispositione aegri, partim e causis excitantibus et indole morbi cujus praecipuum symptoma sistit, cognoscere licet. Quod epistaxis sit revera symptoma criticum naturae et cum levamine symptomatum morbosorum intret, e sequentibus prodit: caput fit liberius, sensus omnes in et externi majis clarescunt; pulsus minori frequentia stipatus fit aequalis, plenus et mollis, sanguis ipse laete ruber cruore et fibra ambundans propullulat. Omnis praematura suppressio epistaxeos talis critici aut habitualis attamen salutiferi, frequentissimus est fons gravissimorum morborum; uti cephalaeae saepe dirissimae, vertiginis encephalitidis aliorumque organorum internorum inflammationum, apoplexiae, convulsionum, odon-

talgiae otitidis, palpitationis cordis haemorrhagiae pulmonum, tracheorrhagiae, haematemeseos phtyseos, haemorrhoidum aliorumque malorum.

Si autem frigus et pallor faciei atque extremitatum, vertigo, propria faciei mutatio, syncope, pulsus perquam frequens, parvus et debilis accedit, sanguis in pleno ferre rivo profluit, tum et epistaxis critica limitari debet, quin autem nimis cito iterum supprimetur.

Sub omni autem epistaxi graviori, quae non amplius naturae submittenda est, sed jam auxilium medicum exposcit; duplex iterum tractamen intercedit: 1mo in tractamen sub insultu, et 2do in tractamen post insultum.

Sub insultu praeprimis est, ut omnia impedimenta liberam sanguinis circulationem cohibentia amoveantur; adeoque 1mo omnia vestimenta corpus nimis angustantia sunt solvenda et abjicienda. 2do Summa corporis atque animi quies. 3^{tio} Temperatura subfrigidiuscula et aër purus est sustinendus. 4to Situs corporis erectus, ut sanguis non retineatur, et qui insimul congestiones sanguinis erga caput arcet. Ut autem praeter momenta nunc enumerata tractamen congruum instituatur, sequentes adhuc indicationes implendae sunt ut nempe causae praedisponentes et excitantes rite dignentur et amoveantur, character profluvii hujusque nexus cum statu morboso praesente bene perpendatur.

Praevalente dispositione ad epistaxim haec iminui debet, adeoque in aetate infantili atque ju-

venili omne evitandum, quod congestionibus erga caput favet. Constitutio plethorica venaesectionibus, purgantibus diaeta tenui removenda; erethismo systematis vasorum atque nervorum ut in debilibus, sensilibus, hecticis, phthisicis, methodus antiphlogistica sopiens, revellens respondet, in congestionibus e debilitate ortis et sublata vasorum energia vitali; roborantia, adstringentia tonum vasorum restituentia conveniunt.

Causis excitantibus remotis plerumque silet profluvium. Refrigerio regimen callidum, frictio, balnea topica callida; ex opposito aestui regimen frigidum opponendum et omne, quod exaestuat ut nutrimenta aromatica, exaestuantia potulenta fermentata et spirituosa sunt interdicenda; cibi vegetabiles, leniter nutrientes refrigerantes potusque ejusdem indolis, aquosi sunt ordinandi. Porro motui quies situs congruus convenit, obstacula circuitus ut collare, thoraces strictae, ligaturae sunt removendae, aliaque impedimenta circulationis, imprimis viscerrem abdominalium aliorumque obstructiones, infarctus congruo regimine et cura solvente sunt amovendae. In aliis obstaculis nullo modo levandis ut in vitiis cordis vasorum tantum symptomatica cura ut levamen ad ferat est instituenda.

Causis remotis aut amplius non removendis in indolem inquirendum summi est momenti quoad therapiam congruam. In epistaxi activa inflammatoria si simul signa congestionum aut inflamma-

tionis organi cujusdam nobilioris, venaesectio, hirudines retro aures, interne nitrum, potus aciduli, praesente complicatione gastrica, purgantia refrigerantia salina, ut Cremor Tartari, Tartarus tartarisatus, Soda et Magnesia sulfurica, pulpa Prunorum, Tamarindorum, Cassiae, Electuarium lenitivum multum prosunt. Cura alterius speciei activae nimium cum erethismo, si congestionibus debetur, plerumque hirudines sufficiunt, majori jam cum cautela ac in priori venaesectio est adhibenda; interne acida mineralia et vegetabilia, ut acidum sulfuricum dilutum, Elixirium acidum Halleri, aqua Rabelii, Elixirium acidum Dibeli cum vehiculo mucilaginoso, potus aciduli cum acido tartrico, citrico, succos Citri, Syrupo Rubi idaei exhibenda. Si aeger affectionibus stipatur spasticis, liquorem Ammonii succinati, Ipecacuanham in dosi refracta emulsionem ex seminibus Hyoscyami nigri cum Nitro, Digitalem purpuream ex poscit.

Profluvio asthenico remediis est succurrendum, quae agilitatem facultatis motricis, tum in systemate nervoso tum vasculoso compescunt, nec non contractilitatem vasorum vitalem restituunt; acidis prius dictis, tum acido muriatico diluto, muriatico oxigenato erit utendum; utque remediis nervinis oleis aethereis, tincturis aromaticis, balsamis, infusis radicum aromaticarum, ut Angelicae, Valerianae, Arnicae, Naphtis, Moscho, praevalens debilitas systematis nervosi est abigenda; profluvium chronicum adstringentibus: Corticae

Chinae, Quercus, Salicis, Hypocastari, Alumine aliisque est coercendum.

In curanda epistaxi externae remediorum applicatio plurimum prodest. In stillicidio activo: sectio venae saphenae, hirudines ad femora, ad perinaeum, pediluvia cilida, frictio pedum enemata valent; in epistaxi activa nervosa, pediluvia calida, cinere, sale culinari, farina seminum Synapis mixta, cataplasmata ad plantas pedum, cucurbitae cruentae et siccae, illinitio spiritiosorum conveniunt; in epistaxi asthenica, ad applicationem vesicantium, synapismi, illinitionis spirituosae aethereo-oleosae aggredimur. Non minoris momenti sunt remedia illa, quae fluxum sanguinis directe cohibent, ostiaque vasorum, sanguinem stillantium obturant, plerumque in epistaxi erethistica activa nec non asthenica ex anastomosi, paralisi vasorum orta, adhibenda.

Spectant huc glacies, nix, aqua frigida mera vel cum aceto mixta; solutio Ichtiocolae cum alcohole, vel solutio Aluminis, Ferri sulfurici, decoctum Gallorum Quercus, Gumi Kino, Catechu, decoctum radicis Bistortae, Tormentillae, corticis Salicis Quercus, Chinae, quod attrahitur vel injicitur; fomenta frigida subito nuchae, fronte, radici nasi, scrobiculo cordis, et scroto applicanda, vel fiat subita aspersio aquae frigidae. Si non sufficiunt, linteum carptum, solutione Aluminis, sulphatis Zinci, Ferri sulfurici imbuta, vel turundae, quibus pulvis ex Alumine, Sanguine Draconis,

Gummi Kino, radice Tormentillae, Bistortae vel pulvere Griffithi et aliis similibus, albumine ovi susceptis adhaerent, cavo narium profundius imittendae, ibique per longum tempus relinquendae. Scopo fluxum sanguinis sistente et spongia in longum scisa, spirituosis, Liquore anodino, Spiritu Therebintinae, aqua Thedenii imersa naribus imponitur. Nicotiana non abutentibus pulvis hujus herbae in nares attractus sillicidium compescere dicitur. Interdum mechanica compressio plus quam involvens stypticum egisse videtur. Attamen naribus anterioribus obturatis, sanguis per posteriores descendit, quo in casu tubulus incurvatus cum chorda ex intestino animali parata per naris foramen sanguinem fundens truditur, donec versus fauces portaverit chordam aut filum, quae cum instrumento vel parvo cum tenaculo ad faucis arripitur, ex ore protrahitur. Idem cum altero naris foramine suscipitur. His praestitis extremo ex ore supra labrum propendenti parti duplici plumaceolus vel linteum carptum paulo densius contortum atque sat voluminosum ut nempe cavum narium posterius repleat, et apenturam posteriorem claudat, dum plumaceolus in nares protrahitur. Super quodvis foramen anterius linteolum quadruplicatum ponitur, et filo e naribus propendente ligatur. Tunc vero aeger per longum tempus quietus esse, nec coagulum in naribus factum removere debet.

Applicatio vero remediorum externorum magna cum cautela praesummenda. Sanguis coagula-

tus e naribus prius est removendus, turundae plumaccolae ostia sanguinem fundentia arcte occludere debent, a remediis tussim, sternutationem excitantibus statim abstinere, atque cum minus eficacioribus incipere debemus; hisce vero frustra adhibitis ad efficatiora, ubi periculum in mora cum summa cautela transire licet, et tam diu adhibenda, usquedum effectum securum exerrerint. Raro aut nunquam prodessent pharmaca congrua, nisi et congruum regimen diaetiticum succurrent. Profluvio activo inflammatorio regimen antiphlogisticum prodest, hinc cibi parum nutrientes, minime stimulantes, vegetabiles, egelidis, putulenta aquosa cum succis vegetabilibus et Saccharo cura est adjuvanda, aeger versare debet in cubile amplo, evitat omnem sermocinationem et aliam intensionem. Cito enim aeger sub talibus circumstantiis sanatur ac per breve tempus reconvalescitur.

Epistaxis activa erethica eandem diaetam idemque exposcit regimen ac activa inflammatoria sublato vero profluvio, diaeta leniter nutriens convenit, propterea cibis mucilaginosis gelatinosis: Decocto Salep, Sago, Oriza, Hordei mundati cum fucco Citri, jusculis carnosis, ovis, gelatinae animali, carni tenerae, gallinaccae, vitullinae, pani albi hic est locus; pro potu cerevisia amara parva quantitate et vicibus repetitis raro et cum summa cautela virum est concedendum. Reconvalescentia longius durat si enim magnam sanguinis jacturam passus est aeger, cruor deficit, nutritio et repro-

ductio multum labefactantur, activitas vero systematis nervosi utplurimum praevalet. His usus roborantium ut Lichinis Islandici Chinae serius martialium; Hyosciamo, Digitali, balneis conceditur. Caeterum diaeta observanda prius jam adlata, quies vero cum motu corporis moderato est permutanda.

Haemorrhagia narium passiva sibi exposcit aërem purum frigidum, cubile amplum altumque juvat fenestras operire, aëris renovatio, humum parietesque cum aceto vini aceto aromatico aspergere, suffumicationes acidi muriatici et chlorici quoque suum contribuunt, et eo majis quia sanguis efluens facillime in putredirem ruens aërem ambientem corrumpit. Cibis nutrientibus, stimulantibus, roborantibus et tamen digestu facilioribus vires aegris sunt extolendi, ad quam seriem pertinent juscula carnosa, gelatinosa, ova, carnes leviores, vinum, aromata, potus aciduli, aqua cum vino, acidis mineralibus parva quantitate mixta. Summa corporis mundities, lotiones universales cum pura aut acidis mineralibus remixta. Reconvalescentia ob nimiam sanguinis jacturam et virium vitalium exhaustionem semper longinqua, et eandem regimen fero diaeteticum exposcit.

Si autem epistaxis aut per naturam aut per antem praemature supprimebatur, omnis intentio ad restituendum sanguinis profluvium dirigenda est, ne illae gravissimae et saepe lethales incedant sequelae, de, quibus jam supra mentionem feci,

in hunc finem optime adhibentur: Aqua tepida naribus attracta, vapores cavo narium immissi utilissimi autem sunt hirudines ad ostia narium applicatae, et scarificationes. Si autem per haecce remedia profluvium non restituitur tunc summum et unicum remedium adhuc praesertim in plethoricis resistit in venaesectione.

Litteratura.

Schenk Dissert. de haemorrhagia narium. Jen. 1668.
Wedel Dissert. aeger haemorrhagia nariam laborans. Jen. 1679.
Eisel Dissert. de haemorrhagia narium. Erf. 1687.
Wagner Dissert. de sanguinis profluvio e naribus maxime eo, quod in scribus observatur. Hall. 1723.
Pluskey Dissert. de haemorrhagia narium. Vienn. 1774.
Kletter Pr., de haemorrhagia narium in morbis acutis critica et salutari.
Archimowitz Dissert. de epistaxi. Viln. 1819.
Richter Therapia specialis.
Meissner, Encyclopedie der medicinischen Wissenschaften. Leipzig 1832.
Bischoff, Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung chronischer Krankheiten.

Theses defendendae.

I. Natura per se saepe, ars vero per se nunquam sanavit morbum.

II. Non omne corpus peregrinum, vulneri inhaerens statim auferendum est.

III. Remedia directe solventia in organismo vivo non dantur.

IV. Non omnes Neuroses nervinis tractandae.

V. Venacsectio febri inflammatoria jam vigente crises substituere non potest.

VI. Phthysis ulcerosa justam indolis contagiosae movet suspicionem.

VII. Scirrhus et carcinoma radicaliter nunquam sanantur.

VIII. Maximum naturae donum dolor.

IX. Triplex est morborum sanatio, sine, per et contra medicinam.

X. Nostalgicorum dimissio pro bono raepublicae in regulam est evehenda.

XI. Emetica in curatione febrium intermittentium purgantibus multo praestant.

XII. Lithotomia ex se lithiasim non sanat.

XIII. Aquae soteriae naturales artificialibus nonnunquam post ponendae.